



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Aliæ nonullæ quæstiones circa jurisdictionem & potestatem
Archiepiscopi proponuntur, & resolvuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

maximè, si hoc agant in contemptum Episcopi, in quo casu causam Capitulum inter, & Episcopum examinare potest Archiepiscopus (sicut ut Delegatus Sedis Apostolicæ) & metu pœnæ urgere reos capitulares, ut habetur in *c. irrefragabili 13. h. t.* Quintus casus est, si causa criminalis agitur in Episcopum, & Clericum ejus subditum; quamvis enim ad Consilium Provinciale hic casus ex jure Trid. pertineret, quia tamen hæc valde rara sunt, & Papa in omni casu adiri non possit, non videtur melior in hac causa iudex quam Archiepiscopus. Sextus denique casus est secundum aliquos, si Episcopus sit negligens in exercenda sua jurisdictione, & officio; probabilius tamen est, quod in hoc casu negligentem quidem Episcopum Archiepiscopus monere, & compellere possit ad præstandum officium, in hoc tamen casu nihil immediatè circa ipsos subditos possit, nisi ex supra allatis casibus aliquid interveniat. Videatur glossa in *c. pastoralis. 17. exceptis*, ubi plures casus referuntur devolutæ ad Archiepiscopum jurisdictionis.

§. III.

Aliæ nonnullæ quæstiones circa jurisdictionem, & potestatem Archiepiscopi proponuntur, & resolvuntur.

Quæritur, an excommunicatum ab Episcopo suffraganeo possit Archiepiscopus absolvere? Responderetur posse, si ab Episcopo ad Archiepiscopum appellatum sit. *c. per inas 40. de sent. excom. & c. venerabilis 7. §. porro eodem in 6.* (cùm jurisdictionem per appellationem, acquisivit, ita tamen, ut modam observet

præscriptum in *c. ad reprimendum 8. h. t.* ut prius scilicet ad Episcopum, qui excommunicat, remittat (nisi constiterit injustè fuisse excommunicatum, aut nolit Episcopus, eum quem excommunicavit, absolvere, aut in mora sit periculum) & cautionem saltem juratoriam prius recipiat, quod velit satisfacere Episcopo, qui excommunicavit, in eo propter quod excommunicatus est &c.

Quæritur 2. utrum ab Episcopo, qui mandatum à Papa accepit, de corrigendis suis subditis, ad Archiepiscopum, non obstante hoc mandato, appellari possit? Responderetur affirmativè, ut constat ex *c. licet 12. h. t.* quia in casu tali non tam delegatus Papæ constitutus fuit Episcopus, ut ad delegantem debuerit fieri appellatio, sed excitata tantùm per mandatum tale fuit jurisdictione illius ordinata, cùm ea tantùm ipsi mandata fuerint, quæ ad ordinariam jurisdictionem pertinent.

Quæritur 3. in quo loco Archiepiscopus exercere possit jurisdictionem suam erga subditos suorum suffraganeorùm. Responderetur de hoc ita statuere Bonifacii VIII. in *c. ut litigantes 5. h. t. in 6.* non debere Archiepiscopum causas subditorum Coepiscoporum suffraganeorum judicare, si ad ipsum appellaverint, nisi in propria sua diocesi, vel in illâ eadem ex qua appellatio fuit petita, nisi aliud consuetudo habeat, ad parcendum scilicet sumptibus litigantium & hinc cum &c. hæc statuta sunt, possunt ipsi cedere huic favori, & velle, ut ea etiam alibi, cum consensu tamen ordinarii illius loci decidatur.